



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

vers. 46.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)



montes, & iniuas sylvas crebro, raro autem in vrbes incidere.

§. 3. Beza impie ad Monachos in Eremo agentes refert, quæ refutat præceptor meus Nicolaus Serarius in cap. 8. Tob. q. 9. Et eiusmodi loca indicauit etiam Dominus, cum Matth. 12. vers. 43. eiecitum demonem dixit ambulare diabolus in arida & iniqua loca. Obferuant & hoc etiam nunc, hoc tempore, sacri Exorciste, vt vel in imum inferorum barathrum, vel in tesquas & horridas quasdam solitudines demonia, quibus egressum imperant; ablegent, vbi ab hominum cœtu absint quam longissime, minoremque illis perniciem afferant. Quemadmodum leones, pardos, tygrides, aliasque id genus ferae procul à nobis, in saltus, speluncaque amandauit Deus; sic & demonum multitudinem maximam, salutis nostra causa, in arenas & damnata quadam sola eiecit. Quo factum, vt de S. Antonio, Macario, aliisque veteribus eremorum sanctissimis incolis (quemadmodum à S. Athanasio loco citato, Palladio c. 20. Cassiano colat. 7. cap. 23. traditum) grauius quererentur demones, quod homines isti loca inuaderent, in eaque Christi Iesu crucem & cultum inferrent. Quo detestabilius Beza in Matthæi cap. 12. vers. 43. calumnia est scribens: Quantum, in incultis & squalidis locis, valeant Satanicæ prestigia, docent mala per eremitas & monachos iam pridem in Ecclesiam inuicta. Sed qui Christi Domini virtute, gratia, & cruce armati, æterni demonibus bellum indicare, in domum fortis intrare, ipsiusque vasa diripere ausi sint, quæ inuicere mala potuerunt? Excitantur historiae veteres, & per Eremitas, Monachosque in barbaros immanesque populos quam plurimos, adeoque hanc in Germaniam nostram, Christianam fidem importatam, Euangelium propagatum, baptismum, ceteraque pietatis nostra mysteria illata comperimus. hecine mala sunt? Heretico scilicet mala, quia omnia has penitus sublata, vel certe non nisi deprauata & enervata vult, mala inquam Satane admistio, crucis Christi aduersario, gehenna leuoni, & ni respiciat; æternarum flammarum pabulo.

Calumnia  
Beza.

#### VERSUS 43. 44. 45.

*Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida querens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, Reuertar in domum meam unde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nomisima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessima.*

#### QUESTIO I.

*Quomodo redeat?*

Quies da-  
moni est  
nocendi fa-  
cultas.

§. 1. DE spiritu loquitur, vt de homine, qui domo pulsus inquit, quibus terris considere valeat, quam cum inuenit, dicitur quiescere: non quod spiritui vlla possit contingere, vel sperari requies, cum immania perpetua tormenta secum deferat; sed quod eius requies sit, posse aliorum quietem tollere. Ac quiescit odium cum nocere potest, inuidia cum alios miseris facit. Hanc malitiæ quietem inuenire non potest, in solis desertisque locis, ideo ad antiquos sedes reuertitur. De eius in homines odio curaque nocen-

di, Vide Delirium nostrum in prologo disquisitionis.

§. 2. Domus sine dubio est homo, quam antequam uenit, gressu suo orantem, non ab alio occupatam, emundatam, & ornatam, non indicatur hominem alium virtutum cultura instructum fuisse, sed ad excipiendum hospitem expeditum, & paratum, quem admodum si hostis vibem epulantem offendant, capiatque.

§. 3. Manet in eadem similitudine Christus. Nam hostis postquam speculatus est locum idoneum, & obtentu facilem, de eo retinendo cogitat, federa contrahit, & auxilia cogit, atque belli commoda paratur cum aliis, vt se eorum praesidio muniant. Plures enim difficilis pelluntur, quam pauci, aut vnus. Sic inquit erit huic generationi pessima, plures enim eam demones opprimunt.

#### VERSUS 46.

*Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, querentes loqui ei.*

#### QUESTIO I.

*Qui fratres Christi?*

§. 1. **H**eluidius filios B. Virginis esse finxit, quæ de cap. 1. disputauit. Quomodo matrem habuerit, ostendit Augustinus. epist. 38. Itane matrem? Cui renam non habebat imperator tuus? Quæ tamen cum ei nuntiaretur agenti caelestia, respondit: Quæ mater mihi, aut qui fratres? Et extendens manum in discipulos suos, dixit, non pertinere ad cognationem suam, nisi qui facerent voluntatem patris eius. In quo numero profecto etiam ipsam sanctam Mariam benignus inclusit: faciebat enim & illa voluntatem patris eius. Ita magister atque dominus, & mater nomen, quod ei quasi priuatum propriumque nunciauerant, quiatorem erat, in comparatione caelestis propinquitatis abiciit: & eandem caelestem propinquitatem, in discipulis suis commemorans, quo sibi rurum consortio generis, cum cæteris sanctis virgo illa cohereret, ostendit. Et ne istis saluberrimum magisterio, quo contemni carnalem affectum in parentibus docuit, adminiculum error acciperet, quo matrem habuisse quibusdam negatur, alio loco discipulos monuit, ne se patrem in terris dicant habere, vt quomodo illos manifestum est habuisse patres, sic se habuisse matrem manifestaret, cuius tamen terrena cognatione contempta, contemnendaq; universalis necessitudinum discipulis præberet exemplum. Quidam fratres Iosephi esse putant, quos contra alias eg-

§. 2. Non sunt ingressi prætulba, vt ait Lucas. Causam exponit Marcus cap. 3. 21. dicebant enim in furorem versus est, & volebant in eum mittere manum. Quod necde ipsa matre, nec omnibus cognatis, sed aliquibus dicendum est. Alii vero cognatos id egisse, vt eum de manibus Phariseorum liberarent.

§. 3. Humanam eius naturam quidam ex eo negant, quos contra Tertullian. lib. 4. aduersus Marcionem. Superest & inspicere sensum non simpliciter pronuntians, quæ mihi mater aut fratres? Quasi ad generis, & consanguinitatis negationem: sed & ex causa necessitate, & contradictione rationali. Tam proximas enim personas sibi stare prætertrans intus desinit ad sermones eius, amplius & auctius re eum à solenni opere querentes, meritis indignatus est, non tam abnegauit quam abdicauit. Atque adeo cum promississet: Quæ mihi mater, & qui mihi fratres? subiens, nisi qui audiunt verba mea & faciunt ea, transiit ad sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide indicant.

Nemo







quos illi nuntiabant foris stare, ille eos sciret absentes esse, vel valetudinū, vel negotiū, vel peregrinationū nota iam necessitate. Nemo tentat eo modo, quo posse se sciat ruborem tentationis referre. Nulla igitur materia tentationis competente, liberatur simplicitas nuntiatoris, quod vere mater & fratres eius superuenissent. Sed quæ ratio responsi matrem & fratres ad præsens negantiū, discat etiam Apelles. Fratres Domini non crediderunt in illum, sicut & in Evangelio ante Marcionem edicto continetur. Mater aque non demonstratur adhæsisse illi, cum Martha & Maria alia in commercio eius frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum, cum uideret viam vitæ, cum Dei regnum predicaret, cum languoribus & viriū medendis operaretur, extraneū defixū in illum, tam proximi aberant. Denique superueniunt, & foris subsistunt, nec introeunt, non computantes scilicet quid intus ageretur, nec sustinent saltem, quasi necessariū aliquid adferrent eo quod illi tum maxime agebat, sed amplius interpellant, & à tanto opere reuocatum volunt. Oro te Apelles, vel tu Marcion, si forte tabula ludens, vel de hystrionibus, aut aurigis contendens, tali nuncio auocareris, nonne dixisses, quæ mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans & probans Christus, Legem & Prophetas adimplens, tanti retro aui caliginem dispargens, indigne vsus est hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere reuocantium? Ceterum ad negandam naturam, alius necessarius fuisse ei locus, & tempus, & ordo sermonis, non eius qui possit pronunciari etiam ab eo, cui & mater esset & fratres, quum indignatio parentes non neget, sed oburget. Denique potiores fecit alios, & meritum prædicationis ostendens, audientiam scilicet verbi, demonstrat qua conditione negauerit matrem. Quæ enim alios sibi adoptauit, qui ei adhærebant, eā abnegauit illos, qui ab eo absistebant. Soler etiam id implere Christus quod alios docet. Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nuntiata matre & fraternitate desereret? Negauit itaque parenter, quomodo docuit negandos pro Dei opere.

### QUESTIO I.

An mater Christi honoranda sit?

**Hæretici** §. 1. **W**olfgangus Musculus operose contra cultum Dei matris disputat. [Dicant nunc tre Dei esse quotquot beatam virginem colunt & adorant, quam obtem id faciant. An non ideo quod Christum Saluatorem mundi pepererit? Cur putant illam magnæ apud Christum esse prærogatiuæ? An non ideo, quod iuxta carnem est mater Christi? Certe ob id ipsum. Nam id testatur non solum ipsorum conscientia, sed & edicti libri. Est qui de beatæ Virginis intercessionem ita scribat: Salomon thronum matri suæ iuxta thronum suum collocari præcepit. Verū pacificus Salomon Christus, honorans matrem suam, idem facit. Quæso quam ob rem Salomonis exemplum inducit, nisi propterea quod putat carnalem cognationem idem esse apud Christum, quod apud Salomonem? Verum Christus aperte testatur hoc loco, se non tanti facere illam, quanti spiritalem. Non nego matrem Christi filio charam esse: hoc nego quod propter carnalem cognationem, tantopere extolli putatur, sine consideratione spiritualis, contra aperta Christi verba. Christus testatur matrem suam esse, fratrem & sororem, quisquis fecerit voluntatem patris, qui in cœlis est, illamque cognationem, ut filius Dei, præfert carnali. Sed quæso, quis vnquam illam veneratus est patri suspitione, quasi carnalem plerique hodie & iam dudum adorant. Arqui beata virgo multo felicitus & beatus est mater Christi, & soror Christi, per fidem & obedientiam Dei, quam ex eo, quod Christum carnaliter peperit. Imo beata non esset, nisi ad istum modum esset mater, & æque soror.]

Respondeo. Matrem Dei cultu & honore dignam esse, quia mater Christi: dignam etiam quia sancta, & gratia plena. Ea causa à nobis non vi Dea, sed vt ancilla Domini nostri, & mater colitur. Augustini de sancta Virg. cap. 3. sententiam probamus. Scriptum est in Evangelio, quod mater & fratres Christi, hoc est, conuine carni eius, cum illi nuntiati fuissent & foris expectarent, quia non possent eum adire præ turba, iller respondit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos, ait: Hi sunt fratres mei, & quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse mihi frater & mater & soror est. Quid aliud nos docens, nisi carnalis cognationi genus nostrum spirituale proponere: nec inde beatorum esse homines, si iustus & sanctus carnis propinquitatem iunguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando coherescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, beatus venter qui te portauit, ipse respondit: Imo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt.

Pluris est, quod credidit, quod amauit, quam quod Mater concepit. Sed tamen & sua matri est dignitas, quia & mater. Ideo enim & Christus illi obediens fuit. Si enim ille subditus fuit matri, quis nostrum matris dignitatem negabit? Nestoriani matrem Dei negabant, sed ex eo tempore defendi cœpit, postquam Concil. Ephesinum, & Chalced. item sextum, & patres eorum temporum contra hæc esse insurrexerunt.

Atque hæc de matris dignitate, quatenus mater erat, sancti Patres scribunt. Nazianz. epist. 3. ad Cleor. Hier. Ep. 47. August. tract. 119. in Ioan. Chrysom. 84. Cyrill. l. 12. c. 34. Qui autem, B. Virginem à Christo honoratam vt matrem, & Tertull. l. de carne Christi c. 7. Hoc vero loco ostendit maiorem esse spiritus cognitionem quam carnis: nec se concionantem interpellandum. Dignitas vero matris moralis est, & Physica; Nam & de eius sanguine corpus Christi formatum est, & eius lacte creuit. Hanc dignitatem Petrus Damianus tanti facit, vt iubeat creaturam ad eam contremiscere. Matri autem gratia plenitudo debebatur, Cyprianus seu auctor de natiuitate Christi. Vide August. de assumptione. Bernh. hom. 2. super missus est. Anselm. l. de excellentia virginis. Damascenum de doctrina virginis. Sophron. de assumpt. Res facile intelligi potest, si discendi non contendendi animo legatur. Matris Christi dignitas, si per se sola spectetur, quia in sola relatione quadam ad filium consistit, minor est, quam dignitas filii adoptiui, & in gratia constituti. Præstat enim amicum Dei esse quam matrem, si mater sine Dei amicitia spectetur. At vero si matris dignitatem morali iudicio, qualem esse eam decuit consideremus, scilicet omnibus spiritualium donorum ornamentis illustrem, maior est quam dignitas sanctorum aliorum. Nam, vt ait Sophronius: Talibus oportebat virginem oppignorari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cœli gloriam, terris Deum.

Porro hanc dignitatem matris etiam Caluinus attret aliquando, hoc tamen loco ad suorum confusione agnoscit. [Nec vero absurde, sed ex Scripturæ more celebratur hæc Dei benedictio: scimus enim sobolem, præsertim eximii virtutibus ornatam, tantam quam Dei singulare donum aliis omnibus præferri. Neque etiam negari potest, quin Deus Mariam filio suo matrem eligens ac destinans, summam eam honore dignatus est.]

De voce tamen mulieris sic nos accusat. [Mirus vero Papatus stupor, quod in Mariæ honorem cantant hæc verba, quibus tam discrete refellitur eorum superstitio: in agendis vero gratis mulierculæ vocem decerpunt omnia correctione. Verum ita modis omnibus obstupesceri decuit qui pro sua libidine sacrum Dei verbum data opera profanant.]

Vlt.